

sed ipse sibi est lex, potest ex supremo dominio suo, et pœnas occultas remittere propter bonitatem suam, quæ est bonum maxime commune, et radix omnium legum. Sicut etiam in humanis princeps supremus potest quandoque ob bonum publicum et non instante parte, remittere pœnas et delicta, sicut David remisit Absaloni, et tamen negari non potest quod princeps quando punit ex justitia stricta, et ex debito legali puniat; non ergo ex eo quod Deus qui est summus princeps possit relaxare injurias, tollitur quod ex debito legali et rigoroso illas possit punire, quod juxta modum taxatum a se punit. Unde dicit D. Thomas, 2-2, q. LXVII, a. IV ad II, quod: « Deus habet supremam potestatem judicandi, et ad ipsum pertinet quidquid contra aliquem peccatur. Et ideo liberum est ei pœnam remittere, præcipue cum peccato ex hoc pœna maxime debeatur, quod est contra ipsum, non tamen remittit pœnam secundum quod docet suam bonitatem, quæ est omnium legum radix. » Quæ ultima verba satis indicant agnoscere D. Thomam debitum legale in Deo, cum punit et infert pœnam juxta legem, cum etiam remittendo agat juxta id quod est radix omnium legum.

Ad confirmationem respondetur, quod Deus respicit propriam injuriam ut injuriam summi principis, et sic maxime pertinentem ad bonum publicum et commune. Unde non est locus vindicandi et propulsandi illam ex justitia vindicativa, quæ est pars potentialis justitiæ, quia hæc solum propulsat damna particularia per modum defendentis, non judicantis, ut dictum est, et sic procedit ex quadam decentia, et debito morali vel propulsando vel indulgendo injurias, non autem judicando ex debito rigoroso et legali, sicut Deus.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

Fere omnia argumenta opposita soluta sunt ex probatione nostri fundamenti, ostendendo non esse aliquam imperfectionem in justitia distributiva, ob quam possit negari Deo. Breviter tamen repræsentato vim omnium argumentorum. Possunt enim fieri argumenta ex triplici capite. Primo, ad probandum esse aliquam imperfectionem in justitia distributiva, ob quam non possit attribui Deo. Secundo, ex eo quod solum ex debito morali, non ex legali Deus reddit præmia, vel pœnas infert: hæc enim est omnis materia justitiæ distributiæ. Tertio, quia in præmiis reddendis solum attendit affectum, qui est debitum gratitudinis, non æqualitatem in effectu, qui est debitum rigorosum justitiæ.

XXVI. Primo ergo arguitur, quia debitum legale et rigorosum repugnat Deo erga creaturas: sic enim esset ligatus illis ex debito, quod est imperfectionis: ergo repugnat justitia distributiva stricte dicta, quia hæc respicit debitum rigorosum erga alterum: si enim non esset tale debitum, esset solum debitum morale et ex decentia virtutis quod solum pertinet ad partem potestativam justitiæ. Nec valet dicere quod Deus est debitor sibi ipsi, quia hoc ipso non est justitia stricte dicta, quia ejusdem ad se non est proprie justitia, sed si est debitum justitiæ, debet esse in ordine ad alterum extra se: hoc autem est maxima imperfectio in Deo quod sit debitor creaturæ, cum ex parte creaturæ nullum sit datum vel acceptum, nullumque fundamentum ad talem obligationem inducendam in Deo. Et præsertim cum justitia rigorosa et propria versetur circa bona tem-

poralia, ad quæ non coarctatur justitia in Deo.

Confirmatur, quia D. Thomas perpetuo dicit quod Deus in judicio suo quo infert pœnas, vel dat præmia, servat modum justitiæ commutativæ ut 2-2, q. LXI, a. IV ad I, et q. CVI, a. I ad II, et q. CVIII, a. II ad I, quod non compatitur cum ratione justitiæ distributiæ proprie dictæ. Et hoc ideo, quia in operibus nostris debitum justitiæ fundatur in valore et labore operis, huic autem correspondet præmium, pretium autem pertinet ad justitiam commutativam, nec solum correspondet actioni humanæ, ut humana est, sed etiam actioni bruti, ut cum conducitur animal, et meretur pretium. Ergo præmii distributio in quantum præmium, et ut distinguitur a pretio, non pertinet ad justitiam, quia non fundatur in valore, et labore, nec in aliquo dato, vel accepto a merente: nihil enim nos Deo damus: *Quis enim prior dedit illi, et retribuetur ei?* Ergo solum pertinet ad debitum morale, et ad decentiam, seu honestatem virtutis talis redditio.

Confirmatur secundo, quia Deus non attendit in distribuendis bonis et perfectionibus suis creaturis, sive quoad naturalia, sive quoad moralia, aut supernaturalia ad proportionem comparativas unius creaturæ ad aliam, sed ad cujusque creaturæ debitum, et connaturalitatem, seu coaptationem cum eo, quod sibi debetur; et sic perinde se habet erga quamlibet creaturam, ac si illa tantum esset, cui debet dare id quod dat. Non ergo ex justitia distributiva tribuit, quia hæc solum respicit proportionem geometricam, et comparativam unius ad alterum, non debitum quod unicuique proprium est, etiamsi diversis debitoribus inæqualia debita reddantur, sicut creditor debens multis inæqualia de-

bita, et solvens omnibus ex justitia commutativa restituit, non ex distributiva.

XXVII. Hæc argumenta sunt præcipua fundamenta Vasquez. Et ad illa jam manet responsum ex dictis. Cum enim quæritur quomodo Deus possit esse debitor proprie et stricte creaturæ, respondetur quod hoc debitum licet exerceatur circa personas ad extra, non tamen debitum ex ipsis personis oritur, neque ex aliquo jure quod in re habeant, et sic non subicitur illis distributor, sed superior manet. Potest tamen manere subjectus bono communi, seu reipublica ex quasi contractu cum ipsa, de providendo illi, et distribuendo bona ejus communia secundum æquitatem, aut etiam ex lege alicujus superioris sibi id præcipientis. Sed hoc non est de ratione distributoris ut sic, sed talis distributoris, scilicet creati, qui non habet plenum dominium in rempublicam sed est quasi minister, et custos ejus, aut etiam minister Dei a quo habet legem et directionem ejus quod debet agere. In summo vero distributore, scilicet in ipso Deo hoc debitum nascitur ex ejus naturali rectitudine et æquitate, seu lege, quæ est ipsemet ratione cujus Deus habet debitum exercendi istam distributionem juxta proportionem personarum, quibus distribuendum est. Et sic cum dicitur esse Deum debitorem, sibi tollit propriam rationem justitiæ, distingo; esse debitorem sibi, ut termino, seu persona, cui aliquid reddendum est, concedo; esse debitorem sibi ut principio et fundamento obligationis et debiti, reddendæ tamen, et exercendæ in ordine ad alterum, nego: debitum enim quod Deus habet ad creaturam, debitum quidem est ad illam, sed non oritur ex jure, et actione ipsius, sed ex ordinatione Dei; et ideo Deus non est debitor creaturæ,

licet implicat debitum creaturæ, quia hoc debitum non nascitur ex ipsa creatura, sed ex ipso Deo, nec ordinat Deum ad creaturam, sed creaturam ad Deum, quæ est doctrina D. Thomæ hic q. XXI, art. I ad III, sufficit enim justitiæ, ut sit inter diversas personas tamquam inter extrema in quibus exerceatur, non tamen requiritur quod ratio et fundamentum hujus juris, seu debiti sumatur in una persona ex jure alterius quo onerat alteram: id enim solum requiritur in justitia commutativa, ut diximus articulo præcedenti, non distributiva, in qua totum onus nascitur ex ipsa exigentia boni communis, et cum bonum commune primordialiter sit in Deo, ex ipsamet oritur hoc debitum, ut explicatum est; et sic creatura non est creditrix talis debiti, licet ipsi ut extremo et termino reddatur.

XXVIII. Ad primam confirmationem quod attinet ad loca S. Thomæ jam supra diximus ipsum loqui de modo, et forma justitiæ commutativæ, quæ servatur in præmiis et suppliciis reddendis ex parte materiæ, seu ex parte effectus, quem facit in ipsa materia, ut scilicet tantum reddatur pro tanto, non ex parte juris, seu debiti quod per se respicitur a distributiva justitia in præmiis reddendis, quod scilicet non sit jus commutativum, et fundatum in jure proprietatis, et domini alterius, vel commutationis et actionis, quam facit erga me, sed sit jus proportionis et dignitatis cujusque, juxta quod exigit bonum commune. Et quantum ad rationem, dicimus quod in operibus id quod respicitur per modum valoris et pretii ejus pertinet ad justitiam commutativam, quæ respicit æqualitatem rei ad rem secundum valorem. Id autem quod respicitur in valore secundum quod facit dignitatem, et proportionem ad bona communia ut

distribuenda per modum præmi, pertinet ad justitiam distributivam. Itaque valor, ut pretio æstimabilis secundum se est communis actionibus humanis, vel operibus et rebus inanimatis; valor autem operum ut dignificans personam respectu alicujus præmi est proprium actuum humanorum, et respicit æqualitatem proportionis reddendam a distributore, non æqualitatem rei taxandam secundum valorem.

XXIX. Ad secundam confirmationem jam supra responsum est, ostendendo quomodo etiam Deus respicit proportionem plurium, ut diverso modo dignificantem diversas personas ad retribuenda præmia, et quomodo etiam justitia distributiva respicit proportionem cujusque ad id quod sibi dandum est per modum dignitatis et coaptationis personæ ad tale præmium, non per modum debiti, ex vi dati, aut accepti ab alio, quod est juris commutativi.

XXX. Secundo arguitur, quia ad distribuenda præmia juste, sufficit vel debitum decentiæ moralis, vel rectitudo providentiæ seu justitiæ legalis respicientis bonum commune: non ergo requiritur stricta et propria justitia distributiva. Antecedens probatur, nam in primis id videtur dicere Anselmus in prologo. c. x: « Justus es, non quia reddis debitum, sed quia decet te summe bonum, » et Aristoteles v ethicorum dicit quod: « Dei judicium in infligenda pœna non fit secundum justitiam distributivam. » Deinde, quia totum fundamentum debiti, quod est in justitia divina, non nascitur ex creatura, nec ex jure ipsius erga Deum, nec ex ipso bono communi creato, quia totum hoc creatura est, sed nascitur ex ipsa rectitudine Dei, hæc autem non fundat strictum debitum et legale,

sed solum decentiam moralem, quam Deus habet ad se: ergo tota ratio justitiæ fundatur in solo debito morali Dei ad se; non ergo est proprie justitia distributiva. Quod si supponit ordinationem, seu pactum Dei, ad hoc sufficit fidelitas divina ut salvetur pactum si attendit ad obsequium creaturæ, ad hoc sufficit gratitudo; si denique ad rectam dispositionem, et directionem boni communis, et partium ejus, ad hoc sufficit divina providentia, et justitia legalis, quæ est in ipso architectonice, ut in supremo principe: ergo superfluit ista justitia distributiva stricte dicta.

XXXI. Respondetur negando antecedens. Ad primam probationem ex auctoritate Anselmi, respondetur ex D. Thomæ hic q. XXI, art. I ad III, quod justitia in Deo quandoque dicitur condecencia suæ bonitatis, quandoque retributio pro meritis, et utrumque modum transit Anselmus dicens: « Cum punis malos justum est, quia eorum meritis convenit, et cum parcis malis justum est, quia bonitati condecens est. » Itaque Anselmus ibi tangit modum illum condecenciæ, non tamen negat veram retributionem pro meritis, quia hæc etiam decet Deum, non tamen est solum debitum decentiæ, sed debitum juris distributivi, licet non per modum debiti ordinantis Deum ad creaturas, et ex jure creaturarum orti, sed ex ordinatione sua, et sic negat debitum illud imperfectum, Aristoteles vero non negat absolute justitiam distributivam Deo, sed docet modum commutativæ servare in pœnis infligendis, non autem habet distributivum modum cum imperfectione, scilicet cum subjectione ad bonum commune.

Ad secundam probationem dicimus, quod debitum illud quod respicitur a justitia distributiva non nascitur aut fundatur in aliqua ac-

tionem vel jure ipsius creaturæ, sed tamen exercetur circa creaturam; et nascitur ex rectitudine naturali Dei, et ex bonitate divina. Itaque decentia illa quam Deus habet ad se, et debitum illud quod habet ad se, est causa et radix debiti quod exercet erga creaturas ex ordinatione sua, et hoc secundum debitum est strictum et legale, sed causatum a Deo ex illa decentia et debito quod habet ex se, quatenus illa decentia est causa universalis omnis rectitudinis et justitiæ servandæ in creaturis, quod unico verbo dixit D. Thomas citato loco ex secunda secundæ, q. LXVII, art. IV ad II, quod: « Remittit pœnam secundum quod decet suam bonitatem, quæ est radix omnium legum, » ubi cum decentia bonitatis divinæ ponitur radix omnis legis, et consequenter omnis debiti legalis. Fundatur ergo hoc debitum legale ad creaturas in debito decentiæ divinæ, quatenus radicaliter est principium omnis legis, et omnis debiti quod fit juxta leges: debitum autem quod est juxta legem est debitum legale, licet hoc non noscatur in Deo ex lege sibi imposita a superiori, sed ex lege quæ est ipsa ejus voluntas. Et sic distinguit D. Thomas in hac quæstione XXI, art. I ad III, quod aliquid est debitum Deo, aut etiam est debitum creaturæ: « Et utroque modo, inquit, Deus debitum reddit: debitum enim est a Deo ut impleatur in rebus id quod sapientia et voluntas ejus habet, et quod suam bonitatem manifestat, et secundum hoc justitia Dei respicit decentiam ipsius, secundum quam reddit sibi quod debetur. Debitum etiam est rei creatæ, quod habeat id quod ad ipsam ordinatur, sed hoc debitum dependet ex primo, quia hoc unicuique debetur, quod est ordinatum ad ipsam secundum ordinem divinæ sapientiæ. » Et quod dicitur sufficere fide-

litate solam ad reddendum debitum secundum proportionem, et dignitatem cujusque, respondetur non pertinere hoc ad fidelitatem, sed solum implere veritatem Dei, sive in simplici promisso, sive in oneroso, ut supra ponderavimus. Providentia autem Dei, et justitia legalis est sufficiens ad danda ista præmia radicaliter et causaliter, quatenus sic decet bonitatem et sapientiam Dei, non formaliter, quia supposita ordinatione Dei, redditur debitum strictum, et legale ad ministrandum justitiam creaturis, et hoc pertinet ad justitiam distributivam, quæ est subordinata et originata a legali seu providentiali, et ex illa oritur, tamquam ex lege et rectitudine boni communis.

XXXII. Denique nota, quod licet in merito attendatur potius effectus, quam affectus merentis, ideoque charitas maxime facit ad meritum: debitum autem decentiæ est quod respicit affectum, debitum autem legale, quod respicit effectum, et sic recompensare effectum pertinet ad gratitudinem, quæ facit æqualitatem voluntatum, non rerum, ut docet S. Thomas 2-2, q. cvii, art. v ad iii. Tamen affectus charitatis in merito attenditur, ut dignificans et dans valorem operi, ideoque pertinet ad justitiam recompensare ei præmium. Affectus vero ut facit promptitudinem operis, reddit illud gratiosum; et sic recompensatur a gratitudine debito morali, et decentiæ tantum.

ARTICULUS V.

An et quomodo sit in Deo misericordia?

In præsentia quæstione XXI, art. iii, docuit D. Thomas misericordiam esse maxime tribuendam Deo, se-

cundum effectum, non secundum passionis affectum. Unde dubitant aliqui, an formaliter sit attribuenda Deo misericordia simpliciter loquendo. Quod totum reducitur ad illam quæstionem, an in suo conceptu formali dicat aliquam imperfectionem, a qua non possit purificari, et sic Deo sub formalitate sua attribui.

I. Breviter, quia res ista non multum habet controversiæ, notandum est quod misericordia ex suo objecto formali respicit miseriam, seu malum alienum ut repellendum, et subveniendum in quantum displicet. Et quia id quod nobis displicet causat tristitiam, seu dolorem in nobis, inde est quod motivum ad misericordiam, quod est displicentia mali aliena, causat in nobis dolorem seu tristitiam, tum sensibilem in appetitu, quando res ipsa quæ displicet sensibilis est, tum spirituales in voluntate, quæ est tristitia seu simplex displicentia. Reputatur enim malum alienum quasi proprium per affectum, et sic generat dolorem et displicentiam in nobis. Quare requiritur in nobis virtus moralis, quæ secundum regulas rationis moderetur istum motum, tum in voluntate, justam et debitam displicentiam de malis alienis assumendo; tum moderando dolorem appetitus sensitivi de malo alieno, ne aut sit nimius, aut nullus, sed quantum requiritur, ut subveniamus malo alieno secundum quod possumus; ad hoc enim principaliter respicit misericordia, ut scilicet effectum istum faciat, qui est subvenire malo alieno; ex affectu tamen voluntatis, quo displicet illud malum, et sic voluntarie movetur ad tollendum illud. Quod totum est doctrina D. Thomæ hic, et 2-2, q. xxv, a. iii, in corpore et ad quartum.

II. His suppositis certum est in Deo non esse misericordiam prout

importat dolorem appetitus sensitivi, nec prout dicit virtutem moderativam talis passionis, quia quod sensibile est longe abest a Deo. Nec etiam est motus voluntatis misericordia prout contristans, quia Deus non est capax tristitiæ, solum ergo in Deo est affectus, quo amando creaturas displicent ei defectus et mala earum, et inde movetur ad subveniendum illis: cum enim de facto expellat ista mala, et subveniat nobis, necesse est quod habeat affectum expellendi illa, et quod displiceant ei, alias non moveretur ad expellendum sine affectu: ille ergo affectus imperfectionem non dicit, cum talem effectum habeat, et tam perfectum. Et hæc est formalis et essentialis ratio misericordiæ: quod enim ex hoc sequatur dolor et tristitia, est aliquid naturale et per modum consecuti in misericordia, ra-

tione subjecti in quo est, cui non potest aliquid displicere, nisi cum aliqua tristitia vel dolore consecuto; id tamen non pertinet ad formalem rationem, quæ ex parte objecti respicitur: hæc enim solum importat malum ut depellendum sive ex parte subjecti miserentis sequatur dolor et tristitia, sive non. Et ideo formaliter salvatur misericordia in Deo, semotis imperfectionibus ex parte subjecti consecutis, non solum quia hunc effectum habet, qui est expellere miseriam creaturæ, sed ut habet affectum voluntarium, quo facit illum effectum: de hoc enim loquebatur D. Thomas in articulo secundo cum dicit: « Originem hujus esse ipsam bonitatem Dei qua tolluntur defectus; » constat autem non tolli a Deo nisi per liberum actum, qui est affectus voluntatis.